



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

XCVIII. Pulchritudinem suam in lacrymas vertit Magdalena.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

XCVIII.

Pulchritudinem suam in lacrymas veritatem
MAGDALENA.

ARGVTI S oculis picto sub flore corollæ
Lusit amœnus Amor, lusit amœna Charis.
Ista breui sed scena cadit. Amor histrio vitæ,
Qui modò Comœdus, ritè Tragœdus erit.
Ite procul Veneres, blandique Cupidinis ignes:
Serius in lacrymas Magdalinæ vrget Amor.
Ah pudet: hinc duri contusa ad pectora planctus,
Hinc pudor, hinc gelidus plumbea larua
metus.

Lapsa fluit coma, & ipsa comis dilapsa corolla,
Lapsaque dilapsis flaua iuuenta comis.
Qui roseo flos ore stetit, flos aureus æni,
Excidit in tristes iam cinis vodus aquas:
Quæque prius niueo candebant lilia vultu,
Purpureis mutat flamma pudica rosis.
Sic licet ægra cadat formosi gratia vultus,
Gratior informi ridet in ore Charis.
Divitiis animosa suis, nil indiga cultus,
Ipsa sui pretium, munus & ipsa suum.
Cui tamen in lacrymis maior perlucet imago,
Et noua adoptivis gratia floret aquis.
En vbi perspicuis lucetque patetque sub vndis
Annulus, aut vitreis nummus inerrat aquis;
Siue virens latet herba, sègésve, terésyè lapillus,
Nais vbi puris ridet amœna vadis:
Quam sibi mendaci fons pictor adumbrat in
vndâ,

Nôræ

Nónne suo maior corpore forma natat?
Sorte pari, medio dilucet gratia fletu
Pulchrior, & maius fenerat aucta decus.

X C I X.

M A G D A L E N A C H R I S T I
verbis pascitur.

I M B V I T irriguas fecundis imbribus aures,
Nectareisque rigat torrida corda fauis
C H R I S T V S, inexhaustæ felix cui copia lingue
Vndat, & ambrosio Magdalin ore trahit.
Illa inhians, totum cupidâ bibit aure, Magistro;
Ac saturam pleno proluit ore sitim:
Et mirer fatuas Marthæ si despuit ollas,
Nectar & ambrosiam vox cui dia facit?

C.

*Certamen MAGDALENÆ cum Sole,
ut er prior CHRISTVM resurgentem
comitetur.*

C V R s v coruseo Sol leues rapit rotas,
I E S V ut triumphum spectet auratâ in togâ:
E^t Magdalena corripit leuem gradum.
Cælo soloque curritur curâ pari.
Uter duorum contigit metam prior?
Ut Solem I E S V S, Magdalin sic Sol præit,
Eamque cursu vincit, ut canat prior:
Io! triumphhe! victor exsurgit Deus.